

כ"ג ה'תק"ט  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE

GLORIA  
BEATORUM,

EX  
DAN. XII. VERS. III.

*Quam*

Sub Auspiciis SS. Triados  
PRÆSIDE

*VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo  
atque Excellentissimo*

DOMINO  
BERNHARDO WAGNERO,

SS. Theol. D. & P.P. Ordinario & Seniore, Convent.  
Eccles. PRÆSIDE Gravissimo, Capit. Thom.  
Canonico Meritissimo,

*Domino Fautore & Patrono suo Magno,  
Præceptore vero etatem filialiter colendo,*

In Incllyta Argentinensium Academia  
Publicæ συζητήσεως subjicit

PHILIPPUS JACOBUS Faudel / Argent.  
Auctor & Respondens.

*Ad diem 7 Mensis Martii Anno dō 1809.*  
loco horisque consuetis.

ARGENTORATI

Ex Typographéo JOHANNIS PASTORII.

Coll. diss. A  
229, 9

*Lit. A. 224.*

ILLUSTRI  
GRATIOSÆ DISPENSATIONIS  
LEGATI  
OTTONIANI  
D<sup>NN</sup>. PRÆFECTORUM  
COLLEGIO,

VIRIS  
MAGNIFICENTIA, GENERIS  
NOBILITATE, MUNERUM MERITORUM-  
QUE AMPLITUDE, MAXIME REVERENDA DIGNI-  
TATE, CONSILIORUM GRAVITATE, MULTIPLICI  
EXPERIENTIA, PRUDENTIAQUE CONSPICUIS  
ET EMINENTIBUS,

D<sup>NN</sup>. Mæcenatibus atque Patronis suis Ma-  
gnis, omni pietatis officique cultu colendis  
prosequendisque

*Hasce Studii Theologici primitias in  
sui, Studiorumque suorum ulteriorem com-  
mendationem, humillima mente manuq;  
offert & consecrat*



TANTORUM NOMINUM  
*devotus Cultor*

PHILIPPUS JACOBUS Faudel / Argent.  
Auct. & Resp.



I. N. J.

P R O O E M I U M.




Emeritatis forte ac curiositatis  
 pravæ nos quis accusaverit,  
 quod de Gloria Beatorum in  
 futura vita aliquid publicis  
 literarum monumentis con-  
 signare audeamus, cum ocu-  
 lus non viderit, nec auris  
 audiverit, nec super cor ho-  
 minis ascenderint, quæ Deus diligentibus se præpa-  
 ravit, testante Gentium Doctore, 1. Cor. 2. v. 9. Quem-  
 admodum enim infans in utero matris conclusus, de  
 pulchritudine lucis nihil novit: sic & nos in hujus  
 vitæ tenebris *ὡς νήπιοι* seu infantum instar de æternæ  
 vitæ gaudiis nil possumus profari. Hinc etiam B.  
 Augustinus Hipponensium Episcopus Lib. 22. de  
 Civ. Dei. Cap. 21. dicere solitus est: *Quæ sit, & quam  
 magna spiritualis corporis gratia, quoniam nondum ve-  
 nit in experimentum, vereor ne temerarium sit omne,  
 quod de illo profertur eloquium.* Verum enim vero  
 non esse omnino vitiosæ temeritatis, nec otiosæ  
 curiositatis, sed piæ potius sollicitudinis & sollicitæ

pietatis aliquid differere de Gloria ista, quæ beatos  
 cœlites manebit, arbitramur; præsertim cum Sacræ  
 Scripturæ codex ineffabilem illam Gloriam similitu-  
 dinibus atque verbis elegantissimis nobis descripse-  
 rit, cujus intra cancellos ac limites etiam in tyro-  
 cinio hoc edendo manemus, cætera quæ captum  
 nostrum superant, Scriptura tacente, ad ipsam cœ-  
 lestem Academiam differentes, ubi abolebitur id  
 quod ex parte est, ubi videbimus DEum de facie ad  
 faciem, 1. Cor. 13. v. 10. & 12. Hæc cum ita sint,  
 facile à Benevolo Lectore nobis veniam pollicemur,  
 aliquid de futura Beatorum Gloria ejusque diversi-  
 tate conscribendi, id quod fiet occasione dicti Pro-  
 phetici quod legitur Danielis Cap. XII. versu. III.  
 Tractabitur autem istud hac methodo, ut brevem  
 instituturi simus I. Analysin Grammaticam con-  
 junctam cum Analyssi Logica, hanc excipient II.  
 Quæstiones quædam è textu enatæ, totam denique  
 tractationem III. Porismata exinde deducta clau-  
 dent. Quod ut felix faustumque jubeat esse Deus  
 T. O. M. est quod supplicibus exoramus  
 precibus!



Tex-



**T**extus Originalis Hebraicus, sicut expressus est, cum literis, punctis vocalibus, & accentibus, in Bibliis Hebraicis, Basileensibus Majoribus Buxtorfianis.

וְהַמְשִׁכִּים יִזְהָרוּ כְּזָהָר הַרְקִיעַ וּמְצַדִּיקֵי הָרַבִּים כְּכּוֹכְבִּים לְעוֹלָם וָעֶד :

Versio Græca, vulgo LXX. interpretibus tribui solita, ut ea extat in editione Londinensi in 4to. Anno 1653. juxta exemplar Vaticanum Romæ editum.

καὶ οἱ συνιέντες λάμψουσιν ὡς ἡ λαμπρότης τῆς στερεώματος, καὶ ἀπὸ τῶν δικαίων τῶν πολλῶν ὡς οἱ ἀστέρες εἰς τὰς αἰῶνας καὶ ἔτι.

Versio Latina Vulgati interpretis.

*Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.*

Versio B. D. Sebastiani Schmidii.

*Tum intelligentes splendebunt sicut splendor expansi, & justificantes multos, sicut stella in seculum & æternitatem.*

Versio B. Lutheri.

Die Lehrer aber werden leuchten / wie des Himmels Glantz / und die so viel zur Gerechtigkeit weisen / wie die Sternen immer und ewiglich.

A 3


Versio

Versio Belgica Nova impressa Amstelodami,  
Anno 1660.

De Leeraers nu / sullen blinden / als de  
Glanz des Dptspanfels / eeder dieder  
vele rechtveerdigen / gelyck de Ster-  
ren / altoos ende eeuwiglick.

## I. Connexio & Analysis.

§. I.



**A**D textum hunc rite exponendum necessari-  
um esse duximus, brevem quandam con-  
nexionem cum antecedentibus ostendere,  
ut exinde appareat, quam apte cum illis  
cohæreat, est autem cohærentia illius hæc:  
In proxime antecedente v. 1. ostendit Pro-  
pheta, persecutiones & tyrannidem, qui-  
bus pii & fideles futuri sint obnoxii secururam esse libera-  
tionem statumque multo lætiores: cujus v. 2. exordium  
facit resurrectionem mortuorum, & resuscitados dividit in  
duas classes, alios enim dicit evigilatu-  
ros ad gloriam, alios vero ad ignominiam æternam ituros. Hos, cum memoria  
eorum sit in perditione, sicco pede transit, illos vero, &  
gloriam quæ tandem eosdem manebit, v. 3. hunc in modum  
describit: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor  
firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stel-  
la in seculum & æternitatem.*

Hæc connexio est. Textum vero ipsum ejusque resolu-  
tionem quod attinet, ea, secundum consuetas propositio-  
nis partes, facienda est in *subjectum* & *prædicatum*. Ubi (a)  
*subjectum* sunt Pii, qui dividuntur in duas classes, alii enim  
sunt (β) משכילים, intelligentes, alii vero (γ) מצדיקים,  
justificantes; *objectum* horum justificantium (δ) *personale*,  
conti-

continetur in voce הרבים, multi. (ε) *Pradicatum*, pro duplicis subjecti ratione, etiam duplex est, & quidem prius: יזהירו כזהר הרקיע, fulgebunt quasi splendor firmamenti; *Posterius* vero, יזהירו ככוכבים לעולם ועד, fulgebunt quasi stellæ in seculum & æternitatem. Ubi occurrit (?) *actus* יזהירו, fulgebunt, (η) *modus*, כזהר הרקיע, sicut splendor firmamenti, ככוכבים, sicut stellæ. (θ) *tempus*, לעולם ועד, in seculum & æternitatem.

§. II.

Jam quod *Subjectum* attinet, quæritur, quinam per משכיל sint intelligendi? Certum est vocem משכיל, quæ est Participium in Hiphil, in Scriptura Sacra varios obtinere significatus: interdum enim denotat, carmen erudiens, Oden didascalicam, Psalmum didascalicum, vel Psalmum qui reddit prudentem, vel aperit intellectum, ut Psal. 32. 42. 44. 45. 52. 53. 54. 55. 74. 78. 88. 89. 142. Unde B. Lutherus vertit: eine Unterweisung. Interdum vero prudentem, intelligentem, vel eum qui ab aliis edoctus est. Derivatur à radice שכל quæ in Kal [ubi semel tantum occurrit] significat; prudenter se gerere, secundari, prosperari, ut 1. Sam. 18. v. 30. שכל דוד מכל עבדי שאור, prudenter se gessit David præ omnibus servis Schaulis, id quod R. David Kimchi, juxta Pagninum in thes. fol. 2963. vertit: הצליח prosperatus est, & quidem satis bene, quoniam successum prosperum fere habet, qui res considerate & attente agit, imo prudentiam felicitas ut plurimum comitatur. In Pihel, intelligere fecit, intelligenter egit, ut Gen. 48. v. 14. שכל את ידיו, intelligere fecit manus suas, id est, sciens, scite, consulto & de industria manus suas direxit. In Hiphil autem vel accipitur *transitive*, ita ut significet; intelligentia imbuit, erudiit, instruxit, informavit, ut Psal. 32. v. 8. אשכילך, erudiam te. 1. Par. 28. v. 19. השכיל, instruxit. Vel *intransitive*, intellexit, intelligentiam habuit, adhibuit, vel consecutus est, intelligentia imbutus, intelligens factus fuit, animadvertit, attendit, ita, ut inde derivatum משכיל, modo opponatur homini pudefacienti se aliosque [ob imperitiam puta ignaviamque] Prov.

Prov. 10. v. 5. C. 14. v. 35. C. 17. v. 2. modo prævarican-  
ti, ibid. C. 10. v. 19. &c.

§. III.

Hæc igitur varia vocabuli acceptio, insignem quoque peperit inter interpretes dissensum. Quidam illud accipiunt *transitive* de docentibus, existimantes, *in utroque dicti Prophetici membro esse unum tantummodo subjectum*, ut ex Pontificiis, Benedictus Pererius, Comment. in Dan. Tom. 1. Op. fol. 227. & Cornelius à Lapide, Comment. in h. l. Ex Reformatis, Franciscus Junius, in prælectionibus suis in Dan. fol. 933. Fridericus Spanhemius, part. 3. dub. Evang. dub. 135. §. 9. p. 766. Ex nostratibus, B. D. Martinus Geierus, Comment. in Dan. p. 974. & alii. Alii vero *intransitive* accipiunt statuuntque, *esse diversa subjecta*, nempe Rabbi Aben Êsra, prout ejus expositio extat in Bibliis Majoribus Buxtorffianis, Rabbi Joseph Jacchiades, Comment. in h. l. Caspar Sanctius Jesuita, Comment. in h. l. Gerhardus LL. CC. Tom. IX. de vit. æt. fol. 337. Calovius in Bibliis Anti-Grotianis p. 697. Theodoricus Hackspanius, in notis Philologicis, part. 2. p. 904. Cum quibus etiam nos facimus, intelligentes per משכילים *eos*, qui ingenium suum prompte applicant ad doctrinam salutarem, & non ambulant in consilio impiorum, & in via peccatorum non stant, & in sede irrisorum non sedent, sed quibus in Lege JEHOVÆ beneplacitum, & in Lege Ejus meditantur diu noctuque Psal. 1. v. 1. idque sibi solum curæ cordique habent, ut fide viva sese præditos esse ostendant. Jac. 2. v. 17. Imo nullis calamitatibus, nullisque comminationibus à vera religione sese patiuntur dimoveri, quoniam persuasi sunt, quod nihil poterit eos separare à dilectione, quæ est in Christo JESU. Rom. 8. v. 38. 39. Hi enim sunt veri prudentes atque intelligentes, juxta tritum illud: *Si Christum nescis, nihil est si cætera discis: Si Christum discis, satis est si cætera nescis.* Antequam vero ad sententiæ nostræ probationem accedamus, prius objectiones examinabimus, quas si nimis infirmas deprehenderit, nostra sententia eo firmiori stabit talo.

§. IV.



Allegantur autem pro utraque sententia nonnullæ rationes, quas cum pace Doctissimorum interpretum, brevi examine percurremus. Et quidem pro priori sententia, quæ vocem משכילים transitive de docentibus interpretatur, adducitur à quibusdam I. Autoritas Hieronymi, qui Comment. in Dan. textum nostrum ita exposuit: *Magistri autem habebunt similitudinem cœli, & qui alios erudierunt, stellarum fulguri comparabuntur.* Sed respondemus: Hieronymum quidem hanc expositionem attulisse, ita tamen ut alteram quoque non improbaverit, teste Gerharo, cujus verba Tom. IX. de vit. æt. §. 121. fol. 338. ita habent: *Quanto rectius Hieronymus exponens hunc locum Danielis, ad questionem, num sanctus idiota & sanctus eruditus eandem in vita æterna gloriam habituri sint? responderi posse asserit, juxta Theodotionis versionem, unum fore ut firmamentum, alterum ut stellas.* Objiciunt II. *Esse hic consuetam Scripturæ ἐπιμωνήν, sive repetitionem rei ejusdem per verba diversa.* Verum respondemus, etsi hæc ἐπιμωνή in quibusdam Scripturæ locis locum habeat, de nostro tamen loco, illa quidem dicitur, sed non probatur. Objicit III. Cornelius à Lap. משכילים non tantum doctos, sed etiam docentes significare. Sed quid tum? significat etiam docentes, an vero hoc in loco? hoc Cornelius à Lapide probare debuisset. Imo certe ipse B. D. Geierus, qui tamen diversam tenet sententiam, diffiteri nequit; verbum השכיל communiter intransitive accipi, unde Comment. in Dan. C. I. v. 4. hæc notat: *Porro, quoad verbum השכיל notandum, illud quandoque transitivum esse, vi Conjugationis tertiæ. Communiter tamen intransitive significare, intelligentem esse, attendere.* Quid quod ipse Philologorum decus, Salomon Glassius. Libr. 3. tr. 3. Can. 27. p. m. 833. edit. recent. Grammat. Sacr. fatetur: *Verba in Hiphil quandoque neutraliter & intransitive accipienda esse: id quod probat, verbo quo usus est Propheta noster, השכיל intellexit seu callidus fuit, השכים matutino tempore surrexit. 2. Sam. 15. v. 2. Jjob. 1. v. 5. הבאש computruit, Exod. 16. v. 24. Psal. 38. v. 6. הקריב appropinquavit. Gen. 12. v. 11. El. 26. v. 17.*

B הלבת

הלכין albut, albus evasit, Es. i. v. 18. חזקין consenuit, Job. 14. v. 8. Ex quibus apparet, hunc verbi significatum non esse scripturæ ignotum. Objicit IV. idem Corn. à Lap. *alludere Daniele ad Doctores tempore Antiochi & Anti-Christi*, de quibus dixit Cap. 11. v. 33. Et docti in populo docebunt plurimos. R. negando alludere Daniele ad illos, de quibus loco allegato dixerat: ומשכילי עם יבינו לרבים Ibi enim participium משכיל transitive accipitur & per prædicatum restringitur ad Doctores, in nostro autem loco intransitive intelligentes notat: longe igitur dispar est ratio. Objicit V. idem, *proprie non alium esse splendorem firmamenti, quam stellarum & à stellis*, seu quod eodem redit; esse etiam unum idemque prædicatum. R. I. Posito, sed nondum concesso, firmamentum splendorem mutuari à stellis, hic tamen non est status controversiæ, sed de hoc quæritur: (1.) An firmamentum splendore gaudeat? (2.) An splendore minore stellarum? quod utrumque affirmamus. II. Cornelius à Lapide sibi ipsi non constare nobis videtur, quare enim ille juxta tres sanctorum gradus, sanctis simplicibus & indoctis, adscribit splendorem cæli cærulei, quod juxta eundem est purum & pellucidum. Doctis vero splendorem firmamenti, vel nubis candidæ, quæ resplendet in cælo cæruleo. Doctoribus vero aliorum, splendorem stellarum. Quare quæso talem splendorem sanctis istis inter se differentibus adjudicat, si unum tantummodo est prædicatum?

§. V.

Pro altera vero sententia, cui nostrum etiam calculum supra adjecimus, proferri possunt rationes sequentes.

I. *Vel משכילים iidem sunt cum מצדיקים vel diversi ab illis.* [ Quomodo etiam pro contraria sententia argumentatur, quem supra citavimus Spanhemius. ] Si iidem, perperam illis attribuantur prædicata diversa, videlicet alia atque alia gloria. Si diversi, & per מצדיקים intelliguntur Doctores, qui alios ad justitiam erudiunt, hoc significatum non poterit obtinere vox משכילים, alias enim non essent diversi. Unde bene Rabbi Saadia, uti citatur in Bibliis Buxtorffii Majoribus, ita exposuit: והמשכילים בתורה יזהירו כזהר הרקיע: ומצדיקי הרבים אלו מלמדי תינוקות ומוביחי ישראל ככוכבים;

: ככוכבים Et docti in Lege fulgebunt sicut splendor ex-  
 pansi, at justificantes multos, isti (sunt) Doctores juventu-  
 ris & redarguentes Israel sicut stellæ. II. *Ex cohærentiatex-  
 tus cum antecedentibus.* In versu antecedente dixerat Pro-  
 pheta: *Multi qui dormiunt in pulvere terræ expergiscentur* &c.  
 quibus verbis generaliter omnium hominum tum piorum  
 tum impiorum post mortem conditio exprimitur. Nunc v.  
 3. Propheta specialiter quasi statum piorum, quorum eadem  
 est salus attingit & ostendit, quosdam illorum majorem ac-  
 cepturos splendorem quam alios; quæ comparatio non per-  
 mittit, ut per משכילים intelligantur Doctores, qui per se-  
 quens מצדיקים denotantur. Imo III. *quandam oppositionem*  
*hic institui* inter משכילים & מצדיקים patet ex Vau præ-  
 fixo, quod utrique præfigitur & adverbative sumendum, ut  
 Gen. 3. v. 3. C. 30. v. 30. Exod. 13. v. 18. Es. 9. v. 9. Mal. 1.  
 v. 2. 3. hoc modo: *Intelligentes vero splendebunt ut firma-  
 mentum, at justificantes ut stella.* Si iidem intelligerentur  
 Vau frustra fuisset additum. conf. Glass. Libr. 4. tr. 1. observ.  
 VII. p. m. 1190. IV. *Ex versione LXX. interpretum*, qui ver-  
 terunt: *οἱ σοφίσταες.* Versio Vulgata: *Qui autem docti fuerint.*  
 Nicolaus de Lyra: *Qui autem edocti fuerint.* Editio Ger-  
 manica Argentinensis Anno 1485. *Uber dye do werden geleeret.*  
 V. *Ex duplici inconueniente*, I. enim. Si per משכילים in-  
 telligendi sunt Doctores sive docentes, erit in verbis Prophe-  
 ticis *ταυτολογία.* Nam in primo membro de illis pronunciat  
 Daniel, quod fulsuri sint splendore firmamenti, quod Pi-  
 scator (juxta Gerhardum Tom. IX. de vit. æt. fol. 338.) expo-  
 nit, de splendore stellarum in firmamento. Atqui idem  
 plane in altero membro repetitur; qualis otiosa repetitio &  
*ἐπιξήγησις* in hoc Propheta alibi vix occurret. II. Si de Do-  
 ctoribus in utroque membro Propheta agit, concedendum  
 erit, ipsum de statu piorum post resurrectionem agentem Do-  
 ctoribus duntaxat, sive docentibus splendorem & gloriam  
 in futura vita assignare, discipulis vero, sive auditoribus  
 in via Domini recte institutis nihil splendoris relinquere,  
 quod inconueniens. Sunt igitur משכילים pii auditores  
 in via Domini recte instituti, quod abunde dedimus proba-  
 tum.

§. VI.

*Circa horum Prædicatum etiam nunc videndum, qualis splendor piis istis conveniat? loquitur autem Propheta de illo, hoc modo: כוהר יהירו כוהר הרקיע splendebunt sicut splendor firmamenti. Simile in his latere, nemo ut opinamur, ibit inficias, cum præfixum כ quod hoc loco est adverbium similitudinis, (unde & ob famosorem hunc significatum ab Hebræis vocatur כוהרמיון) satis id confirmet. vid. Glass Phil. Sacr. L. 4. tr. 1. observ. 3. p. 1152. In hoc autem potissimum vertitur cardo controversiæ: An firmamentum seu expansum alio splendore nempe, quoad gradum minore gaudeat, quam stellæ? antequam hac de re nostram aperiamus mentem, prius singula vocabula ope & beneficio ἀναλύσεως Grammaticæ resolvemus, illa enim nostræ assertioni non parum lucis tænerant. Primo autem loco sese statim offert verbum יהירו fulgebunt, quod est futurum in Hiphil & in Kal nullibi occurrit. In Niphal autem significat, admonitus vel commonefactus est, ut Psal. 19. v. 12. גם-עבודך כוהר כהם, etiam servus tuus monetur per ea. Item Ezech. 3. v. 21. In Hiphil vero vel significat monere, admonere, utpote 2. Reg. 6, v. 10. ויהויררה & monuerat eum: Ubi in margine nota Masorethica ostendit, lectum fuisse cum ו, sed nos לֹ כתוב merito retinemus, quoniam literæ אהו saepe inter se permutari solent. Similes locos de hujus verbi significato evolvere licet. Ezech. C. 3, v. 17. 18. 19. 20. & C. 33. v. 3. In quibus B. Lutherus lingua vernacula bene vertit per verbum warnen. Postea vero, notante B. Geiero ad h. l. juxta Chaldæorum morem etiam significat, splendere, fulgere, lumen emittere, & id quidem si metaphorice explicatur, bene se habet; qui enim admonetur, illustratur & de rebus eventuris edocetur. Obiter tamen notandum, hunc verbi significatum, nusquam in Scriptura præter hunc locum inveniri. LXX. in editione Londinensi reddidere per simplex λαμψουσιν. In editione autem Basileensi ex officina Brylingeriana Anno 1582. legitur compositum ἐκλαμψουσιν, quod non aliam quam simplex significationem habet. In N. T. compositum istud etiam ab Evangelistis adhibitum est, nempe*

nempe Matth. 13. v. 43. quando Christus de piis pronunciat, quod ἑκλάμψουσιν fulsuri sint sicut Sol in regno Patris sui; id quod Syrus reddidit: **וְשִׁשְׁבַּע** fulgebunt, à radice **שִׁשְׁבַּע** fulsit, splenduit. Apud Marcum vero C. 9. v. 3. ubi de clarificatione Christi in monte ( ut plurimi antiquorum Ecclesiæ Patrum existimant ) Thabor dicitur: quod vestimenta ejus facta sint *σὺλβοῖλα* splendens seu coruscantia. Syrus eandem radicem eandemque conjugationem, nempe Participium in Aphel, quod **שִׁשְׁבַּע** Hiphil in Hebræo respondet, adhibuit, verba sic vertens: **וְשִׁשְׁבַּע** **וְשִׁשְׁבַּע** & splendidum fuit vestimentum ejus. Utrumque autem verbi significatum in beatos cœlites quadrare arbitramur: illi enim ἐν ἀποκατάστασι τῶν πάντων, recuperata imagine Divina, admonebuntur, id est, perfectam accipient scientiam mysteriorum Divinorum, qua tum anima tum corpore coruscabunt **כְּהַר הַרְקִיעַ** sicut splendor firmamenti.

§. VII.

Vox hæc **הַרְקִיעַ** in eodem significatu & ab eadem de qua modo egimus radice descendens, adhuc semel occurrit, nempe Ezech. 8. vers. 2. ab aspectu lumborum Ejus & deorsum (erat) ignis: Sed à lumbis Ejus & sursum sicut aspectus **הַרְקִיעַ** splendoris ad instar prunæ. Perperam autem Grotius Comment. in h. l. vocem **הַרְקִיעַ** de splendore Solis, Luna, aut *saliorum planetarum intelligit*, quum ab Angelo definitus sit splendor, quod scilicet non loquatur de splendore stellarum aut planetarum, sed de splendore **הַרְקִיעַ** firmamenti, הַרְקִיעַ enim Emphaticum quod vim demonstrandi habet, voci huic non frustra additum esse arbitramur. Vocabulum autem **הַרְקִיעַ** derivatur à radice **רָקַע**, expandere, extendere, distendere & distendendo rem prius fluidam ac raram continuare ac confirmare in latum extendendo: ut æs alioqui fluidum dum liquefit, in latum distenditur, ac res ejuscemodi raræ & fluidæ, ut Exod. 39. v. 3. Num. 17. v. 3. Jer. 10. v. 9. Ad cujus vocabuli significatum bene quadrare putamus Belgarum

rum versionem, qua vocem *קַפְּתָן* exposuerunt per vocem *Uptspannel* / quasi das Ausgespannte. Græci vero vocabulum nostrum verterunt: *στέρωμα* Firmamentum, quoniam juxta Eduard. Leigh. in Crit. Sacr. p. 397. *Firmamentum continet stellas firmitus hærentes, vel quia sicut munimentum, vallum ac mœnia in extremis partibus sita, cingunt, muniunt ac firmant civitatem: Sic etiam firmat, continet, ambit & quasi munit, non solum reliquas sphaeras inferiores omnes, verum etiam omnia, quæcunq; in mundo universo existunt.* Quid autem per illud sit intelligendum, inter eruditos lis est: Quidam ut Aben Esra ad Psal. 19. v. 1. & Thargum Hieros. juxta Pagn. in thes. fol. 2785. exponunt per aërem, *Aëre enim, inquiunt, nihil esse mollius & fluidius, quem tamen Deus insignis artifex ita consolidavit, ut quovis ære & adamante sit durabilior: nec motus velocitate consumatur aut pernicitate.* Mercerus apud eundem Pagn. in thes. l. c. utrumque & cœlum & aërem intelligendum esse putat, unde sic scribit: *Ego cum Hebrais hoc nomine & cœlum & aërem contineri puto: utrumque corpus rarum & expansum: quum קַפְּתָן proprie sit cœlum illud superius, ubi sunt stellæ, et si ejus nomen etiam aëri inferiori ut est apud Mosén postea donatum sit.* Et B. D. Seb. Schmid. Comment. in Job. C. 37. v. 18. *Expansum est totum cœlum, ab imo ad summum usque.* conf. Flac. Clav. Script. p. 340. Nos controversiam hanc in medio relinquentes, de acceptione vocis non adeo sumus solliciti, siue enim cœlum siue aërem denotet, hoc tamen manebit in concussum, quod aliud sit firmamentum, aliud vero stellæ, sicut aliud est continens, aliud contentum, quod nobis ad scopum nostrum sufficit.

§. VIII.

Jam quod antea motam quæstionem attinet, affirmamus firmamentum alio gaudere splendore & quidem minore quam stellæ. Probamus autem hanc nostram assertionem.

I. *Ex subjectorum diversitate, quæ necessario etiam diversa prædicata postulat, videlicet alium atque alium splendorem.* II. *Ex argumentorum negantium infirmitate, quæ*  
nunc

nunc in medium producemus. Differit autem hac de re, Johannes Verderius, Professor Academiae Montalbensis, disput. 2. & 3. de Libro vitæ, prout citatur in peculiari Disput. de Grad. Glor. Authore Johanne Conrado Sondershausen / habita sub Præsidio Celeberrimi D. Dannhaweri Anno 1659. hunc in modum: *Firmamentum natura sua diaphanum est, stella vero orbis diaphani densior pars. Diaphanum duplex, indefinitum vel interminatum, quod totum visu pervaditur ut aër; finitum & terminatum, quod visum quadante nus sistit, ut crystallum & vitrum. Quod à terra maxime distat, maxime diaphanum est; omnium igitur maxime diaphanum firmamentum. Jam vero accurati nature ruspatores uno consensu docent, quæ maxime diaphana sunt, ut aëris exemplo conspicuum est, in se non esse lucida, sed ab aliis lucem suam fœnerare, unde colligere est, firmamenti nullam esse lucem nativam, sed precariam, puta à stellis, quæ ex se lucent atque fulgent, utpote densiores orbis sui partes, quare firmamenti splendor non alius quam stellarum. Syllogismus ex his antedictis extructus forte hic esse poterit: Quicquid nullam lucem habet nativam, sed à stellis, quæ à se fulgent precariam, illud haud alium habet splendorem & ne quidem quoad gradum minorem, quam stellæ. Atqui firmamentum nullam habet lucem nativam, sed à stellis, quæ à se fulgent precariam. Ergo firmamentum haud alium habet splendorem & ne quidem quoad gradum minorem, quam Stellæ.*

§. IX.

*Sed nos merito cum Authore Disputationis modo allegatæ, in majore propositione Syllogismi allati, nexum subjecti cum predicato inficiamur legitimum. A positione enim dependentiæ luminis præcarii ab eo, quod nativum est, ad sublationem graduum splendoris, tam male concluditur, ut ad splendoris positionem potius valitura sit collectio; hoc ipso enim, quod splendorem ab alio accepit, splendorem habet, licet quoad gradum minorem. Nam conveniens est, id quod communicatur aliunde, gradu inferius esse: quamvis non semper hoc usu veniat. Possunt ergo ea, quæ ipso lumine*

mine

mine conveniunt, splendoris gradu differre: ut in stellis omnibus ad se invicem collatis clarissimum est, id quod nobis in hoc negotio sufficit. Luna mutuatur claritatem à Sole, & propterea non alia quam Solis luce (uti mens est Verderii) lucet, nunquid propterea gradu saltem à Solari luce non differre dicemus? quis ausit dicere, nisi qui noctem quantumvis non illunem, diei velit comparare. Quid frequentius, quam rem communicatam non recipi ita, sicuti in eo est, à quo communicatur, sed pro ratione receptivitatis subjecti recipientis? Aut discipulus nullus suo præceptore erit rudior. Deinde à sublatione splendoris qui communicatur à stellis כוכבים (de quibus in hoc loco sermo est) ad sublationem splendoris in universum denuo male colligitur. Nam vocabulum כוכב juxta Scripturam Soli & Lunæ contradistinguatur, Gen. 1. v. 16. ita, ut etsi poneremus, firmamentum tanquam maximum quoddam diaphanum, splendorem non fœnerare à stellis, à Sole tamen, sicut & Luna splendorem suum haurire posset. Hic autem firmamenti splendor, etsi minor sit futuro splendore stellarum, piis tamen istis quam aptissime conveniet.

§. X.

Illustrari etiam commode potest hic piorum splendor ex transfiguratione Christi, qui *corpus nostrum humile transfigurabit, ut conforme fiat corpori suo glorioso.* Phil. 3. v. 21. jam vero glorificatio corporis Christi sic describitur Matth. 17. v. 2. *Resplenduit facies Ejus sicut Sol, vestimenta autem Ejus facta sunt candida sicut lux.* Marc. 9. v. 3. *vestimenta Ejus facta sunt splendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terra dealbare.* Luc. 9. v. 29. *facta est species vultus Ejus alia & vestitus Ejus albus & refulgens,* in græco est ἐξασπάρων, id est, fulgura quasi emittens: Ab hoc splendore Christi etiam Beatorum corpora splendorem accipient. Quod præter alios annötavit, Rabbi Joseph Jacchiades Comment. in Dan. textum nostrum ἐν τῷ παραφάσων: *Et intelligentes, id est, timentes Dei, fruuntur in vita sua splendore præsentie Divinae. Sicuti Moses Dominus noster, cujus faciei cutis splendebat, eo quod veluti aleretur,*  
sive



sive ornaretur luce praesentiae Divinae. Verum, non erit splendor cutis faciei cujusque ex illis isto gradu; sed ut splendor expansi, quod est corpus Sapphirinum & nitidum. Qui vero multos ad justitiam adduxerint, qui cum ipsi in vita sua justitiam Dei sectati fuerint, tum in causa fuerint ut alii quoque egerint & fecerint bonum, id est, mundi fuerint ac mundaverint multos: hi utilitatem percipient gradu altiori è splendore praesentiae Divinae: quia splendor cutis faciei istorum stellas referet. Atque hoc durabit in aeternum ac perpetuum.

§. XI.

Alterum, ex posteriore dicti Prophetici membro, Subjectum sunt מצדיקים justificantes. Per hos, Doctores indigitari, ut plurimum Interpretes statuunt, Nicolaus de Lyra tamen inficiatur, is enim textum nostrum sic exponit: Hic consequenter tanguntur diversi gradus Electorum, qui erunt quasi diverse claritates stellarum, secundum quod dicitur 1. Cor. 15. stella differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum &c. Et illi tamen, qui supereminent aliis hac in vita & doctrina: habebunt speciale premium, scilicet aureolam Doctorum: Alii autem qui per exempla bona vita inducunt alios ad justitiam: quamvis non sint Doctores: tamen dicuntur fulgere quasi stella in perpetuas aeternitates. Verum enim vero thema vocis מצדיק hoc ipsum inferre arbitramur. Radix enim צדק à qua participium hoc Hiphilicum descendit, in Kal significat, justum esse vel justam causam habere, ut Ps. 19. v. 10. Judicia DEI vera, צדקו יחדו justa sunt simul. Psal. 143. v. 2. quia non יצדק justus erit coram te ullus vivens. In Piel significat in genere, tribuere alicui justitiam, ut Jer. 3. v. 11. צדקה נפשה justificavit animam suam. In Hiphil vero habet forensam significationem, & est justum pronunciare, justitiam imputare, reum absolvere, dictum aut factum alicujus approbare, justum aliquem declarare, item in justitia aliquem informare, ut 2. Sam. 15. v. 4. Quis ponat me judicem, &c. והצדקתיו ut justificem eum, id est, ut faciam illi justitiam. Deut. 25. v. 1. והצדיקו את הצדיק & justificabunt justum, id est, justum declarabunt. Prov. 17. v. 15. מצדיק רשע justificans impium. conf. Jes. 5. v. 23. C. 50. v. 8.

C

Ex

Ex quibus apparet, Participium מצדיק semper forensam significationem obtinere & denotare eum, qui justum aliquem pronunciat, aut reum absolvit, aut ad justitiam informat, id quod uberiori inductione exemplorum probatum dare possemus, si necessitas efflagitaret.

§. XII.

Quoniam autem justificatio duplex est, altera *magisterialis* quæ solius DEI, *ministerialis* altera, quæ fidelibus etiam verbi præconibus competit; hinc Doctoribus & ministris Ecclesiæ tribuitur illud διακονεω, quod Deo competit πρῶτως. DEUS enim proprie ligat & solvit, retinet & remittit peccata. Luc. 5. v. 21. At ministri Ecclesiæ, Christi nomine ligant & solvunt, retinent & remittunt peccata, ministerialiter tanquam legati Christi, 2. Cor. 5. v. 19. 20. Matth. 18. v. 18. Joh. 20. v. 23. Quod B. Glassius Libr. 3. Gram. Sacr. tr. 3. Can. 22. p. 805. ita explicat: *Activa verba tribuuntur etiam illis, quæ non propriissime & influxu proximo id agunt, quod verba significant, sed certa tantum ratione concurrunt: & post pauca: Tribuitur igitur actio & verbum activum, quandoque agendi δὲναμιν conferenti. Consentienti & actionem approbanti. Causam organicam (cui proprie actio adscribitur, perinde ut causæ principali, licet diversa ratione) tractanti. Et hoc quidem duplici ratione μελεδολικῶς &c. Ad quod probandum deinde nostrum locum allegat, & id quidem ideo, quia veram justitiam Doctores verbi proponunt, quæ in Evangelio manifestata, & per verbum alios justificant, hoc est, non erudiunt solum ad justitiam, sed etiam justos efficiunt, διακονικῶς scilicet & ministerialiter, quia causa sunt ministerialis, justitiæ & salutis multorum, quemadmodum etiam ea ratione *Salvatores*, qui semetipsos & alios salvos faciunt, appellantur. Obad. v. 21. 1. Tim. 4. v. 16. Neque spernenda est B. Gesneri Observatio, uti citatur à magni nominis Theologo D. Calovio in Bibliis Anti-Grot. ad h. l. *Nominat eos justificantes, seu ad justitiam erudientes, qua appellatione pulcherrima notat angelus genus doctrinæ, quod isti Doctores tradituri sint: q. d. cum hætenus homines in colendo Idolo Manusim occupati fuerint, singulari**

gulari Dei beneficio postremis mundi temporibus mittentur Doctores, qui ostendant afflictis conscientis, quomodo fide sola in Christum justificari & salvari debeant. Et quamvis seipsos hoc modo exponant, & molestiis & periculis majoribus, nihilominus tamen labor eorum non est irritus in Domino, justificant enim הרבים multos.

Descendit autem vox הרבים à radice רבב multiplicatus, auctus fuit. 1. Sam. 25. v. 10. Jes. 54. v. 13. C. 66, v. 16. Psalm. 4. v. 8. & opponitur parvo & paucis. Gen. 13. v. 6. Num. 21. v. 6. Ios. 11. v. 4. Ps. 19. v. 11. Accipitur vero vel substantive, vel Adjective: Si substantive, denotat magistrum qui multis præfectus est, aut multos doctrina aut dignitate antecellit. Inde ergo Rabbi dictus Ioh. 1. v. 39. quia multos docet, & quia multiplici magnaque doctrina excellit. Nos hoc loco adjective accipimus, ita ut denotet eos, qui doctrinam à Doctoribus traditam avide excipiunt, & eum in quo vera nostra justitia consistit, sibi quam maxime habent commendatum, unde etiam juxta verbi divini præscriptam normam inculpate, quantum possunt vivunt. Theodoretus, Episcopus Cyrensis Comment. in Dan. fol. 694. hosce רבים ita exponit: οἱ μὲν γὰρ δοκιμάστοι, καὶ ἔκκριτοι ἢ ἰσχυροὶ σερραῶματι λαμπρότητι, καὶ αὐτῶ ἡλιακῶ περιεικαδῆσονται φῶσι, οἱ δὲ ἰσχυρῶν ἔλαστοι, ἔτιτο γὰρ ἐσήμανε διὰ τῶν πολλῶν. τὰς ἰσχυρῶν ἀσέρων λαμπρότητας μιμήσονται δι' αἰῶνα ἑαυτῶν ἀφίεντες τὴν ἀγλήν. Probatissimi enim & Electi, splendori firmamenti & ipsi Solis lumini similes fient: inferiores vero illis, hos enim significavit per multos, stellarum lumen imitabuntur. Hunc perpetuo emittentes splendorem. Quoniam vero LXX. interpretes textum nostrum verterunt: καὶ ἀπὸ ἰσχυρῶν δικαίων τῶν πολλῶν, & ex justis multis, ideo videtur nobis, illos usos esse exemplari non punctato & pro מצדיקי justificantes, legisse מצדיקי de vel ex justis: quos etiam Theodotio juxta Hieronymum ad h. l. imitatus est. Sed quia rivuli fontibus præferendi non sunt, nos genuinam lectionem מצדיקי merito retinemus.

§. XIV.

*Predicatum horum justificantium est, quod fulsuri sint sicut stella; ubi quidem notamus, ex membro præcedente repetendum esse ( id quod in Scriptura non est infrequens )* verbum יְהוּרִי hoc modo : כּוֹכָבִים יְהוּרִי fulgebunt sicut stellæ. Nomen autem כּוֹכָב caret ( ut multa alia ) radice verbali, unde quidam illud deducere volunt juxta Pagnin. in thes. à כָּבָה extinxit, per Antiphrasin, quasi lux aut lucerna semper lucens. vid. Glass. Rhet. Sacr. Libr. 5. tr. 1. Can. 5. p. 1506. *Accipitur autem vox כּוֹכָב in scriptura vel proprie vel improprie: improprie & Metaphorice Doctores Ecclesiæ designat, eò quod lucent in Ecclesia & prælucent aliis sicut stellæ in firmamento. Unde & casus stellarum lapsum & ruinam Doctorum denotat, ut Dan. 8. v. 10. dejecit in terram de exercitu כּוֹכָבִים וּמִן הַכּוֹכָבִים & de stellis & conculcavit eas, id est, aliquos Doctores & alia illustria Ecclesiæ membra.. Sic Apoc. 6. v. 13. καὶ οἱ ἀστέρες τῆς ἡμέρας ἐπέσαν εἰς τὴν γῆν, id quod Syrus καὶ πῶδα textum originalem secutus vertit: כּוֹכָבִים יְהוּרִי וְכָל כּוֹכָבֵי שָׁמַיִם וְכָל כּוֹכָבֵי אֲרָצוֹתָא Et stellæ cœli ceciderunt in terram: secundum Flac. Clav. Scr. part. 1. p. 1199. *Proprie autem denotat Sydera cœlestia, ut Gen. 37. v. 9. Jes. 13. v. 10. Ezech. 32. v. 7. & hoc in loco. Rabbinii juxta Schindl. in Lex. Pent. fol. 827. eas dividunt in כּוֹכָבִים הַקִּיּוּמִים stellas stantes sive fixas, quæ sunt innumerabiles, & כּוֹכָבֵי לַחַת stellas ambulantes sive errantes, quæ septem, nempe הַחַמָּה Sol, נּוֹגַח Venus, כּוֹכָב וְעֹשֶׂת מַרְקָח Mercurius, לְבָנָה Luna, שַׁבְתָּאִי Saturnus, צְדֵק Jupiter, מַאֲרִים Mars. Quemadmodum autem stella, stellam splendore superat: Sic & Beatos alios, alios splendore superaturos credimus cum Apostolo ex 1. Corinth. 15. v. 41.**

§. XV.

*Durationem hujus Beatorum Gloria, indicat Propheta quando inquit: illos fulsuros esse לְעוֹלָם וָעֶד in seculum & æternitatem. Voces hæ duæ aliquoties in Sacro Codice conjunguntur, utpote Exod. 15. v. 18. Psal. 10. v. 16. Psal. 21. v. 5.*

v. 5. Psal. 45. v. 7. & 18. Nomen autem עולם deducunt à radice על quæ in Kal inusitata, in Niphal significat, latere, occultare, absconditum esse. Ut 2. Par. 9. v. 2. עס non נעלם absconditum fuit verbum à Schelomoh. Lev. 4. v. 13. ונעלם ע latuerit verbum ( aut res ) ob oculis congregationis; ita ut inde derivatum עולם tempus homini absconditum denotet. Vix vero credere possumus id, quod Mercerus apud Pagninum in thes. fol. 1991. de Hieronymo linguæ hebrææ peritissimo scribit: Eum in Epistola ad Galatas notasse; עולם cum Vau significare æternitatem, sine eo tempus finitum: quoniam linguæ Hebrææ mediocriter tantum gnaro, unicus saltem locus Deut. 32. v. 40. collatus cum Gen. 17. v. 7. aliud ostendit. Qui Latinum OLIM quod de præterito & futuro dicitur, ab Hebræo עולם deducunt, non incongrue deducere existimamus.

§. XVI.

Quoniam autem vox עולם est admodum ambigua, ideo evoluta homonymia indicabimus, quomodo in nostro loco sit accipienda. Notamus igitur, *Primo* significare durationem continuam aliquandiu non interruptam, quæ perpetuitas alias dicitur. Sic circumcisio fœdus seculi seu æternum in Scriptura audit. Gen. 17. v. 7. quia continuo duravit usque ad Novum Testamentum excepto casu necessitatis. Sic servitus hominis per totum vitæ tempus servire volentis dicitur æterna. Exod. 21. v. 6. *Secundo* durationem principium quidem habentem, sed fine carentem, quæ dicitur æviternum vel ævum, vel æternitas à parte post, ut Metaphysici loqui amant. Talis æternitas angelis & animabus nostris competit. *Tertio* durationem interminabilem, principio ac fine carentem, continuam & independentem, qualis soli DEO convenit. ut Psal. 9. v. 8. Es. 40. v. 28. Jer. 10. v. 10. Inter has igitur secunda vocabuli acceptio in nostro dicto locum habebit. Hebraicum autem עולם itidem æternitatem vel seculum denotans, additur priori vocabulo, ad exaggerandum temporis durationem & ad significandum æternitatem fine carentem & interminabilem, quod nempe talis beatorum splendor nunquam cessabit, ut cessaturus aliquando

fit hic mundus aspectabilis, una cum Sole, Luna, astrisque cæteris. Et hæc circa Analysin Grammaticam & Logicam dicta sunt.

## II. QUÆSTIONES.

### Quæstio I.

POSTquam Analyfi Grammaticæ & Logicæ finem imposuimus, aliquot etiam quæstiones è textu elicere lubet, quarum prima hæc sit: *An ex loco nostro Danielitico evinci possit, Sanctos in vita æterna dispari gloria fore ornandos?* Quod hanc quæstionem attinet, notamus; quosdam in excessu, quosdam vero in defectu circa eam peccare: In excessu peccant Pontificii, quorum sententiam refert Cornelius à Lapide Comment. in h. l. ita scribens: *Hi ergo Danielis docti & Doctores fulgebunt 1. majori lumine gloria in anima 2. majori gloria corporis 3. propria aureola. Tres enim sunt aureole, scilicet Doctorum, Virginum & Martyrum, uti docent Doctores.* Et hæc aureola juxta ipsum est gloria accidentalis. Non autem præmiorum istorum accidentalium diversitate contenti sunt, sed insuper asserunt, futuram quoque esse disparitatem in ipsa divinæ essentiæ visione, quæ essentiam beatitudinis constituit, ita ut in quibusdam beatis majus lumen gloriæ futurum sit, in aliis minus, propter quod unus beatus alio perfectius & clarius divinam essentiam videat, ardentius Deum amet ac suavius eo fruatur. Audiamus iterum hac de re loquentem Cornelium à Lapide, sic autem iste Comment. in h. l. *Majorem gloriam habebunt docti & Doctores, quam plebeji, rudes & indocti, non tantum accidentalem, sed & essentialem. Ratio est, quia hæc eorum doctrina, cum sit practica & affectuosa, majorem involvit charitatem, gratiam & spiritum: hoc enim impulsit alios docent, eosque eodem, puta DEI & cœlestium cognitione & amore imbuunt: majori autem gratia & charitati*

ritati major à DEO promissa est quasi merces, beatitudo & gloria essentialis. Alioqui si quis plebejus & rudis v. g. rusticus, majore praeeditus sit gratia & charitate, quam Doctor & Concionator (quod non raro fit in iis qui toti speculationi aridae, aut verborum concinnitati & flosculis student) majorem pariter quam Doctor consequetur gloriam essentialem, etsi accidentalem Doctoris lauream non sit obtenturus. Verum nos, hanc de aureolis doctrinam Scripturae Sacrae contrariam esse arbitramur.

(1.) Ob fundamenti conditionem, quod est doctrina de operibus supererogationis, cui superstructae aureolae facile collabuntur. (2.) Ob temerariam decisionem, cum enim oculus non vidit, nec auris audivit, nec super cor hominis ascenderunt, quae Deus diligentibus se praeparavit, 1. Cor. 2. v. 9. Cumque Paulus 2. Cor. 12. v. 4. in tertium raptus caelum, in hac sua ἀρπαγῇ audivit ἀρρήτα ῥήματα, quomodo quæso hi aureolas suas asserere audent, de quibus in S. literis nihil revelatum est? videntur itaque nobis ὀρνεῖν ὑπὲρ ὃ γέγραπται, sapere ultra id quod scriptum est. 1. Cor. 4. v. 6. In specie autem doctrinae de diversitate gloriae essentiali, opponimus Durandum, qui (citante Gerharo, Tom. IX. de vit. æt. §. 120. fol. 336.) in 4. sent. distinct. 49. disputat. Omnes beatos equaliter videre Divinam essentialiam & omnes in premio essentiali esse aequales.

In Defectu circa hanc questionem delinquunt è cœtu Reformatorum (ut salutaris amant) illi, qui inæqualitatem hanc ex Scripturis probari non posse autumant, quos inter est Fridericus Spanhemius, cum enim part. 3. Dub. Evang. pag. 758. quaestionem hanc proposuisset: An ex verbis Domini Matth. V. vers. 9. minimus vocabitur, magnus vocabitur in regno caelorum, sequatur dari diversos gradus gloriae? tandem p. 763. respondet: Probabilioris iudicio sententiam negantium, tum quia testimoniis & argumentis probabilioribus fulta, & minoribus incommotis obnoxia videtur, tum quia testimonia & argumenta pro sententia opposita producta facile solvi possunt. Nec defuere Clarissimi Theologi, quibus negativa sententia magis probata, inter quos

quos prolixius præ aliis argumentum istud pertractavere Viri Eximii Petrus Martyr & Johannes Camero, ille in Comment. in 1. Epist. ad Corinth. Cap. XV. iste Tom. 2. Praelectionum. Denique p. 785. modo citatus Spanhemius subjungit. Concludimus itaque hanc Disputationem, salvo aliorum judicio, probabiliorem illam sententiam secundum scripturas videri: eandem gloriam non tantum quoad rem, sed & quoad gradus rei hominibus beatis communem futuram. In refutanda hac Spanhemii sententia nolumus esse prolixi, sed tantummodo Calviniano Calvinianos opponimus; inter hos est Amandus Polanus à Polansdorff, qui Libr. 6. Cap. 25. p. 519. Syntagmatis Theol. Christ. de hac gloriæ diversitate ad verba Dan. C. 12. *Stabis in sorte tua in fine dierum*, hunc in modum scribit: *Unusquisque stabit in sorte sua in fine dierum: Patriarchæ & Prophetae in sua sorte: Apostoli in sua sorte: Evangelistæ in sua sorte: Martyres in sua sorte: Pastores & Doctores in sua sorte: alii denique fideles omnes quisque in sua sorte. Eadem omnibus fidelibus, continget beatitudo, eadem vita æterna, eadem fruitio Dei & gratiosi conspectus ejus, distincta tamen erit sors gloriæ.* quibus huic est Marcus Fridericus Wendelinus, qui Libr. 1. Cap. 27. §. 17. p. 668. Christ. Theol. quæstionem: *An diversi gloriæ gradus in æterna vita sint futuri, ita ut alius alio plus gloriæ sit habiturus?* affirmat ob has potissimum rationes. I. Quia Scriptura expresse innuit, discrimen aliquod inter beatos futurum. Dan. 12. v. 3. II. Quia erunt diversi gradus cruciatuum. Matth. 11. v. 24.

*Nos mediam terentes viam, quæstionem antea propositam affirmamus, sed non ita (ut ajunt) nude ac crude, verum additis quibusdam cautelis: distinguimus enim inter beatitudinem objectivam, quæ est ipse DEUS, summum illud bonum, quo non datur majus, & ad summam beatitudinem perfecte sufficiens: Hæc beatitudo omnibus erit communis I. propter eandem acquisitionem, quia Christus eandem vitam æternam omnibus acquisivit. II. Propter æqualem promissionem, quia DEUS omnibus electis vitam æternam æqualiter promisit; III. Propter ean-*



*eandem appellationem*, quia una dicitur vita communis omnibus in cœlis futura. IV. *Propter ejusdem imaginis divinæ possessionem*, nam ea quæ fuit in Adamo, imago DEI, restaurabitur in omnibus Electis. V. *Propter ejusdem hereditatis participationem*, omnes enim erunt DEI filii, regni DEI cives, Christi vero cohæredes. Rom. 8. v. 17. *Et inter beatitudinem formalem*, quæ est fruitio summi illius boni, respectu hujus, non illius quæstionem affirmamus. II. Hanc ipsam formalem beatitudinem duo comprehendere statuimus (1.) *Gloriam essentialem*, quæ consistit in Dei visione ac frui-tione, hæc iterum omnibus piis erit communis, (2.) *Gloriam accidentalem*, quæ præmii essentiam consequitur, & in hac diversitatem fore arbitramur, ut proinde;

*Omnibus una salus sanctis, sed gloria dispar.*

Utut autem diversitatem hanc exacte exprimere, patriæ, non viæ esse profiteamur, aliquam tamen electis DEI filiis distributum iri, pie credimus. Hæc autem gloriæ diversitas non dependebit (1.) ex absoluto quodam decreto. (2.) nec ex *προσωποληψίας* quodam patrocínio. (3.) Nec ex operum nostrorum merito. Sed (4.) ex mera DEI gratia & liberrimo DEI dono, etenim

*Nil DEUS in nobis præter sua dona coronat.*

His præmissis probamus assertum, nempe ex loco nostro Danielitico evinci posse, sanctos in vita æterna dispati gloria fore ornandos, idque hunc in modum: *Splendor firmamenti & splendor stellarum, est splendor inequalis. Gloria auditorum & Doctorum in futuro seculo, est splendor firmamenti & splendor stellarum. Ergo gloria auditorum & Doctorum in futuro seculo est inequalis, & per consequens diversitas gloriæ optime fundata est in dicto nostro Prophetico. Majorem uberius probare, non duximus necesse, cum hoc in antecedentibus abunde factum*

D  
sit,

fit, minor vero directe continetur in nostro dicto. Bene igitur Chrysoſtomus Græcorum Sacrae Scripturae interpretum Princeps. Homil. 41. in I. ad Corinth. Epist. ὡς περ ἐν τοῖς ἐπιγείοις σώμασι διαφορὰ ἔστι καὶ ἐν τοῖς ἐπερανίοις, καὶ διαφορὰ ἔχει ἢ τυχεῖσα, ἀλλὰ καὶ μέχρι τῶν ἐσχάτων. ἔγὰρ ἡλίου πρὸς σελήνην, ἔδὲ σελήνης πρὸς ἀστέρας διαφορὰ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀστέρας πρὸς ἀστέρας. εἰ γὰρ καὶ πάντα ἐν ἔρανῳ, ἀλλὰ τὰ μὲν πλείονος, τὰ δὲ ἐλάττω ἰστέρον μετέχει δόξης. Τί τοίνυν ἐντεῦθεν καταμανθάνομεν; ὅτι εἰ καὶ ἐν βασιλείᾳ πάντες, ἔ πάντες τῶν αὐτῶν ἀπολαύσουσι καὶ εἰ πάντες ἐν γέννη ἁμαρτωλοῖ, ἔ πάντες τὰ αὐτὰ ὑπομενεῖσι. διὸ ἐπήγαγεν, οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν. *Quomodo in terrestribus corporibus est differentia, ita etiam in caelestibus est differentia, eaque non vulgaris, sed etiam usque ad extrema. Non solum enim est differentia Solis à Luna, neque Luna à stellis, sed etiam stellarum à stellis. Nam etsi omnia sint in caelo, alia tamen majorem, alia vero minorem habent gloriam. Quid ergo hinc discimus? Quod etsi omnes sint in regno, non omnes tamen eadem consequentur & iisdem fruuntur: etsi omnes peccatores in gehenna, non omnes eadem sustinebunt. Et ideo subjunxit, sic & resurrectio mortuorum. Plurima huic addere possemus Patrum suffragia, sed quia brevitati studemus, in hoc acquiescimus.*

## Questio II.

Quæri hic ulterius potest: *An non diversitas hac & inaequalitas gloria aliquam in beatis invidiam, indignationem, vel murmurationem excitatura sit?* Nos negativam amplectimur sententiam, sequentibus inducti rationibus. I. Quoniam in DEO, quem beati clare videbunt continetur eminenter tota latitudo veri & boni, ad quam homo & ratione intellectus & ratione voluntatis naturaliter fertur. Ergo etiam clara & beatifica DEI visione expletur uterq; appetitus naturalis tum ratione intellectus tum ratione voluntatis. II. Beati per purissimam charitatem plus diligunt DEUM quam seipso & sua

sua commoda. Ergo magis desiderant impleri voluntatem DEI quam suam. Jam vero norunt, hanc esse DEI voluntatem, ut præmia in vita æterna sint inæqualia. Ergo non desiderant plus habere quam acceperunt. III. Beati ex eadem dilectionis sinceritate & perfectione proximum diligunt sicut seipsum. Ergo proximi gloriam aspiciunt ut suam, lætantur & exultant de ea, ut de sua gloria, ac consequenter, nulla vel tristitia vel invidia ob eam corripuntur. IV. Hujusmodi affectus carnales, utpote invidia vel tristitia, qui hac in vita infirmitatis nostræ sunt indicium, in altera illa vita omnino cessabunt. Ergo alius alii gloriam majorem non invidebit. Unde & B. Augustinus Libr. 22. de Civit. DEI, cap. ult. quod est trigesimum, hac de re pulcherrime scribit: *Ceterum qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint non est ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori, ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident archangelis angeli ceteri: tanquam nolit esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordie vinculo ei qui accepit obstrictus, quam nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, cum membrum utrumque contineat, totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius. Qui plures legere cupit hujus asserti rationes, adeat D. Gerhard. LL. CC. Tom. IX. de vit. æt. §. 120. p. 337.*

### Quæstio III.

De Justificatione posset quoque ex posteriore dicti Prophetici membro formari quæstio: *utrum participium מצדיק Pontificiorum justitia infusa faveat?* R. Sic quidem vult Belarminus, unde Libr. 2. de Justific. cap. 3. §. ad secundum. Tom. 3. fol. 1036. ita scribit: *De voce hebraica, dico verbum*

D 2

מצדיק

צַדִּיק & הַצְדִּיק proprie nihil aliud esse, nisi justum facere: Sed quia potest aliquis fieri justus, tum intrinsece per adeptionem justitiae, tum extrinsece per declarationem, inde eandem vocem ad varia significata traduci. Ex quibus duabus verbi significationibus, ipse priorem arripit & contendit: in actu justificationis semper הַצְדִּיק idem esse, ac inhærenter aliquem justificare, id quod deinde probat dicto nostro Prophetico. In hebreo, inquiens, est מְצַדִּיקִים, id est, justificantes, sive qui justificant. Et non potest hoc trahi ad judices declarantes; significat enim Propheta magnam futuram esse gloriam doctorum, qui multos ad justitiam docendo perduxerint. Agnoscit ergo Bellarminus, justificare in loco nostro idem esse, ac, docendo aliquem ad justitiam perducere. Argumentum itaque ejus pro justitia infusa hoc erit: - Docendo aliquem ad justitiam perducere, est reipsa aliquem justum facere seu alicui justitiam infundere. Atqui justificare in hoc loco Danielis est docendo aliquem ad justitiam perducere. Ergo justificare est reipsa aliquem justum facere seu alicui justitiam infundere.

Sed nos I. majorem hujus argumenti negamus: Quemadmodum enim Ethicus docens temperantiam aut justitiam & modum ad illam perveniendi ostendens, nulli hominum temperantiam aut justitiam infundit, aut aliquem inhærenter justum facit: Sic & Doctores, alios ad justitiam erudientes, nulli hominum justitiam infundunt. II. Vulgata versio reddidit: qui ad justitiam erudiunt multos. Ab ea vero discedere Bellarmino non erit integrum, propter Anathema Tridentinum. Sess. IV. Pulcherrime autem III. reducitur hæc Danielis vox ad propriam significationem verbi justificare. Deus nempe justificat, hoc est, solvit, remittit & condonat peccata, sed utitur ad hoc ministerio verbi 2. Cor. 5. v. 19. posuit in nobis verbum reconciliationis. Matth. 18. v. 18. Quicquid solveritis in terra, solutum erit in cælo. Joh. 20. v. 30. Deus igitur justificat principaliter, ministri vero ὀργανῶν, perinde ut Timotheus seipsum & auditores suos salvasse dicitur. 1. Tim. 4. v. ult. nimirum per ministerium Evangelij, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. v. 16. Etsi igitur (quod porro Bellarmino respondemus)

minister

minister Evangelij peccatorum remissionem prædicans, non fert sententiam more judicis authentici & summi, facit tamen hoc more præconis sententiam absolutionis à Deo summo giudice in Evangelio patefactam, annuncians, quod & ipse Bellarminus inficiari nequit. In specie vero contra Pontificiorum justitiam infusam argumentamur hoc modo: *Quibus adhuc inheret peccatum, illi non sunt justi per justitiam inherentem. Atqui justificati adhuc inheret peccatum. Ergo justificati non sunt justi per justitiam inherentem.* Majorem probamus ex eo, quoniam infusio justitiæ, physice (ut Pontificij volunt) delet & extirpat peccatum, quemadmodum calefactio extirpat & expellit frigus. Minor stabilitur ex cap. 7. ad Romanos per totum, collato cum 1. Joh. I. v. 8.

### III. PORISMATA.

I. Vitam æternam piis Veteris Testamenti promissam fuisse, sufficienter ex dicto nostro probari posse existimamus, idque notamus contra Arminianos Socinianosque negantes.

II. Vita æterna omnium beneficiorum coronis est & complementum, & pia ejusdem meditatio est saluberrimum adversus peccata *περὸν ἀκρίτων* & ab impietate avocamentum efficacissimum, bene agendi *ὁρμητήριον* & ad pietatem incitamentum, omnis solidæ consolationis basis ac fundamentum, uberrima divinæ glorificationis materia ac irritamentum.

III. Ineffabilis in cælo reposita est felicitas his, qui gloriam Dei inter homines promoverunt pro viribus; quamvis id omne proficiatur non ex merito, sed ex gratia. Rom. 6. v. 23.

IV. Ad felicitatem illam pertinet quoque corporum fulgor, quippe lucida ea speramus fore tota, interius & exterius.

V. Ministerij Ecclesiastici magna est necessitas & utilitas & dignitas.

VI. Vera nostra justitia, qua coram judicio Divino stare possumus, consistit in remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi, quod utrumque pij Doctores auditoribus suis inculcare debent.

VII. Officium pij Doctoris est, auditoribus suis non tantum sempiternas impiorum pœnas, sed etiam æternam piorum gloriam, id est, Legem & Evangelium proponere.

VIII. Quamvis vita æterna sit gratuitum Dei donum in Christo per fidem apprehenso. Rom. 6. v. ult. tamen vera & salvifica fides non est otiosa, sed per charitatem & studium bonorum operum sese exerit. Quisquis igitur in plenariam cœlestium bonorum possessionem immitti desiderat, in via Domini ambulet, & in stadio bonorum operum currat, ut brabeum æternæ vitæ accipiat. 1. Corinth. 9. 24.

IX. Egregium pietatis charitatisque opus est, ignorantes errantesque in rectam cœlestis veritatis viam reducere, sive hoc fiat privatim, sive in officio publico. Ὁ γὰρ ἀπιστέφανος ἀμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδῶ ἀπέστειλε, σάσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ κηλύψει πλῆθος ἀμαρτωλῶν, inquit Jacobus. Cap. 5. v. ult.

X. Homo qui bona præsentia, vilia, fluida & brevia, præfert veris, solidis & æternis, merito assimilatur puero, qui ex sapone & aqua bullam inflat eamque sectatur, turgida quæ vento tenuem vanescit in auram, & cani Æsopico, qui carnem ore tenens, vidensque ejus umbram majorem, carnem dimisit ut umbram caperet.

XI. Quoniam in cœlestem Hierosolymam non intrabit aliquid coinquinatum & faciens abominationem & mendacium Apoc. 21. v. 27. ideo quicumque futuræ vitæ particeps esse desiderat, ab omnibus contra conscientiam peccatis sibi sedulo caveat, & frænum carni suæ injiciat, nec pravis ejusdem concupiscentiis indulgeat.

XII. Diuturnitas afflictionis neminem frangat, cum eandem refectio exceptura sit æterna.

Quo-

Quoniam autem memores sumus, nobis animum fuisse, Disputationem Academicam exornandi, hujus limites igitur ne transgrediamur colophonem addimus. Tu interim Benevole Lector, tua humanitate atque favore quibus me hactenus profecutus es, porro me profequere & ea quæ vel minus solide vel minus accurate sunt tractata, in bonam partem accipe! tyrocinium enim est, cujus author correctionem gratissima mente admittet. Tibi denique DEUS O.M. submissas refero grates, quod hactenus mihi vires vitamq; concedere clementer dignatus es, dirige porro studia mea, ut vergant in Sanctissimi Tui nominis gloriam, Ecclesiæ in his terris gementis solamen, & me sequentia ( quibus etiam usus est, ut ajunt, B. Pater Augustinus) suspirantem exaudi :

*Christe palma bellatorum,  
Hoc in municipium.  
Introduc me, da soluto  
Militare cingulum,  
Fac consortem donativi  
Beatorum civium.  
Probes vires inexhausto  
Laborantis pralio,  
Nec quietem post procinctum  
Deneges emerito,  
Teque merear potiri,  
Sine fine præmio!*



Coll. diss. A. 229, misc. 9.